



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Formula literarum, quibus Episcopi à concilio absentis excusatio accipitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

rectam, & dirige gressus nostros in viâ pacis, & ad dandam scientiam salutis plebi tuæ.

Archid. Nos Domine, operarij in messem tuam missi, in omni opere bono ministerium nostrum expletes, De cretâ sanctâ exequêtes, digni reddamur misericordiâ & gratia magni & supremi Sacerdotis Iesu Christi Dei, intercedente simul beata eius genitrice Maria, Beato Ambrosio Confessore, atque alijs huius Prouincię Patronis, & omnibus sanctis. Respon. Amen, Amen.

Acclamationibus de more absolutis, statim Reuerendiss. Patres ordine singuli ad Illustriss. Metropolitanum, adhuc in sessione persistentem, pro osculo pacis accesserunt: quibus sigillatim Illustriss. Metropolitanus, dum appropinquarêt assurgens præuia mutua capitis inclinatione osculum impartitus est.

Tandem Illustriss. Metrop. depositâ Mitra; & assumpto Baculo, surgens vniuersæ Sinodo solenniter benedixit, & Indulgentiam centum dierum concessit, ac postremò per R. Archidiaconû alia voce, Redeamus cum Pace, enunciatum est, & responsum. In nomine Domini: Et sacras vestes in sessionali loco statim exiit Illustriss. Metrop. & Reuerendiss. Patres; & ibidem factâ breui oratione, cum iam secunda hora noctis immineret, in aedem Archiepiscopales redierunt.

Aliæ quædam formulæ ad Concilium Prouinciale spectantes.

Formula literarum, quibus Episcopi à Concilio absentis excusatio accipitur.

CAROLVS, &c. Quæ scripta ad nos Amplitudo tua de causis misit, quamobrem in Synodo nostra Prouinciali, pro eo sanè quod debet hoc tēpore interesse non possit; ea quidē oīa nos & accipimus & cognouimus. Quod igitur ad causas rationesq; attinet, quibus ad absentia suæ excusationem utitur, cum idoneæ illæ quidem sint, atq; iustæ, eas auctoritate nostra Metrop. comprobamus. Quam probationem in Synodi Prouincial. acta referri mandauimus.

Deus Amplitudinem tuam benè valentem gratiæ suæ diuinæ donis cumulet. Dat. &c.

Formula literarum, quibus Capitula Canoniorum Cathedralium ad Conc. Prouinc. inuitantur.

CAROLVS, &c. Ex edicto, quod de Concilio Prouinc. istic promulgari iussimus, certū ac præfinitum diē, quo illud nos hoc anno habere statuimus, cognoscere potuistis. Quare his literis vos Mediolanum ad id inuitamus: eoq; præterea nomine, cōstituta die certos aliquos procuratores, ecclesiasticos homines, mittatis licet: qui, siquæ erūt, quæ ad vos aliqua ratione interessē putatis, ea nobis accuratè exponant. Valente in Domino. Dat. &c.

Formula literarum, de monitionibus, quæ Episcopis à Conc. Prouinc. absentibus mittuntur.

CAROLVS, &c. Reu. D. De rebus, quæ in Synodo Prouinc. actæ & decretæ sunt, à procuratore qui nomine suo interfuit, Amplitudo tua cognoscat. Pro officij autem Metropolitaniani munere, cum monitiones, eaq; scriptis consignatas prouinciæ nostræ Episcopis, qui Synodalibus actionibus interfuerunt, ipsi tradiderimus, eadem etiam his literis inclusas Amplitudini tuæ mittimus. Cui à Deo omnem cœlestis gratiæ cumulū precamur. Dat. &c.

Formula literarum, quibus Concilium Prouinc. mittitur ad Pontificem.

SYNODUM Prouincialem ex Concilij Tridentini præscripto Mediolani de more habuimus. Decreta porrò que in ea confecimus, Reuerendo N. procuratori nostro ad Sanctitatem tuam dedimus: cuius auctoritati & iudicio illa emendanda nos subiicimus, qua maxima possumus & debemus, humilitate atque obedientia. Is verò, qui huius Synodi nostræ actionibus præfens adfuit, primùm nostro nomine Sanctitatis tuæ pedes quàm humillimè osculatus.